









1736.

1. Meining, Joh. Abrahamus : De pacto partis debiti  
remissorio majoris partis creditorum secundum  
jus ac consuetudinem liberae & R. I. Civitatis Francof.  
ad Moen.
2. Balsor, Jo. Christophorus : De poena stupri
3. Krayserus, Jo. Fried : De efficacia juris jurandi  
in actibus invalidis et illicitis
4. Menzath, Constantinus : Minor in feodis

1737.

1. Hakee, Autor : De fideicommissis familiarum  
perpetuis
2. Reys, Joh. Hartmann : De curis jurisconsult  
forum circa successiones nescitorum

1738.

1. Benzlerus, Henr Henr. : De iuribus mulierum  
in rerum argumentis obtinentibus
  2. Goethe, Dr. Casparus : Ulcra de aditione hereditatis  
ex jure Rom. et patrio illustrata sistens.
  3. Kortholt, Franc. Lud. : De possessione ea lege,  
ne contra tradentem, dum vivit, exerceatur.
  4. Ploemius, Georgius Fridricus, de : Praecipua et contra  
versae locutionis conductionis capita.
- 3<sup>ra</sup> = Rays, Dr. H. A. : De ferarum persecutione  
in territorio alieno vnoq. Jagd. Folge.  
2 Bimpl. 1738 i. 1750.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





Pr. 53. Buch 34.

1737, 15

23  
HUMANA IMMORTALITAS  
IN  
FAMILIARUM NOBILIUM  
CONSERVATIONEM ADINVENTA,  
SIVE  
DISSERTATIO

DE  
FIDEICOMMISSIS  
FAMILIARUM  
PERPETUIS,

QUAM  
EX DECRETO  
ILLUST. FCTORUM ORDINIS,  
PRO

3. 204  
*Summis in utroque Jure Honoribus  
& Privilegiis Doctoralibus  
rite consequendis,*

IN ALMA LUDOVICIANA

AD D. OCTOBR. MDCCXXXVII.

PUBLICO PROCERVM ACAD.

EXAMINI SUBMITTIT

ANTON. HABEE, *Oberursellanus*

AUTOR & RESPONDENS:

GIESSÆ, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD, TYPOGR



HUMANNA AMORABILITAS  
IN  
FAMILIARUM NOBILITATE  
CONSERVATIONEM ADVENTA

1748  
MDCCLXXXVIII

FIDELICOMMISSIS  
FAMILIARUM

PARITUTIS

QUAM

EX DECRETO

ALTISSIMI REGNI ORDINIS

PRO

RESTITUTIONE IN REBUS SINE HONORIBUS

ET REBUS SINE HONORIBUS

ET REBUS SINE HONORIBUS

IN ALMA LUDOVICIANA

UNIVERSITATE

ANTONIAE

ALTISSIMI REGNI ORDINIS

1748  
MDCCLXXXVIII



HONORI ET VENERATIONI  
REVERENDISSIMI ET ILLU-  
STRISSIMI DOMINI, DOMINI

CAROLI  
THEODERICI,

S. R. IMP. COMITIS AB INGEL-  
HEIM, DICTI ECHTER IN  
MESPELBRONN, ECCLESIA-  
RUM METROPOLITANÆ TREVIRENSIS  
ET CATHEDRALIUM, LEODIENSIS ET  
HALBERSTADIENSIS. NEC NON EQUE-  
STRIS AD SANCTUM ALBANUM, MO-  
GUNTIAE CANONICI CAPITULARIS, ET RESPE-  
CTIVE ARCHIDIACONI EMINENTISSIMI, CEL-  
SISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS TREVIRENSIS  
CONSILIARII INTIMI ET ELECTORALIS  
LOCUM TENENTIS

DOMINI DOMINI  
AC  
MÆCENATIS GRATIOSISSIMI.

24  
**REVERENDISSIME ET ILLU-  
STRISSIME DOMINE,  
DOMINE COMES,  
MÆCENAS GRATIOSISSIME!**

**D***elitiosa, atque providentiæ suæ ma-  
gnopere assymbola symmetria uni-  
versi plasmata subordinavit Creatrix  
architecta omnipotentia, dum multiva-  
ria*

ria in naturas disseminata perfectione,  
 illarum gratiarum creaturas voluit esse  
 participes, ut & forent, quæ ab aliis  
 mendicarent præsidium, nec deficerent,  
 qui subsidiorum egentibus addicerent  
 lacertum. Sic navigantibus Thalassis  
 tædam ministrat phari lychnus, Palæ-  
 stritis salvam guardiam ferream spon-  
 det clypeus, Viatoribus sudorem umbra  
 sua detergit mons Apenninus. At quor-  
 sum ista encomiis prosequor præsidia?  
 dum primitiarum mearum conatus,  
 Tuam, Reverendissime & Illu-  
 strissime Domine, Domine Co-  
 mes, gratiam reverentes, Tui es-  
 se efflagitant. Exiguum quippe quod of-  
 fero munus est, nominique Tuo inscri-  
 bendo longe impar; Verum tamen cum

A 3 Themis



*Themis mea in Alma Carolina Pra-*  
*gensium multis aucta incrementis, Illu-*  
*strissimæ Familiæ Comitum ab*  
**INGELHEIM**, *suas curias*  
*in acceptis referat, atque aliunde,*  
*Familiarum Illustrium splendoris, in*  
*fideicommissis Familiarum nobilium*  
*perpetuis, conservati contineat argu-*  
*mentum, in Illustrissima vero hac Fa-*  
*milia non tantum summum nobilitatis*  
*decus, & splendor perpetuus uberi au-*  
*ge conservetur; verum etiam suprema*  
*in Imperio Romano Germanico munia,*  
*& propria & avita virtute cogente, qua-*  
*si per fideicommissum (quod vere per-*  
*petuum augurari liceat) deferantur.*  
*Spirent proinde gratiæ Tuæ in fragran-*  
*tem honori Tuo Victimam, Reveren-*  
*diſſi*

*diſſime & Illuſtriſſime Domine,  
Domine Comes, ſpirent inquam, dum  
in Tui venerationem cremans flammula  
fortiſſimis, quaſi ex condicito, agitabi-  
tur argumentis, ſupremoque Tuo patro-  
cinio ad ſuſtinendas intrepide imminen-  
tis tempeſtatis minas ſcintillam fove; Sic  
enim, ut ut novellus Pugil, nunquam non  
ambiens dimicare, TIBI ſperata Victo-  
ria, & ſi quid unquam ſancti obtigerit,  
in ſubmiſſiſſimæ venerationis teſſeram  
iterum iterumque conſecrato in arenam  
deſcendam*

**REVERENDISSIMI ET ILLU-  
STRIS DOMINI  
DOMINI COMITIS**

*Humillimus & devotiſſimus  
ciens*

**ANTONIUS HAREE.**

**PRÆ-**



## PRÆFATIO

**I**n sanum Deucalionis opus meditari, atque summi Protoplastæ potentiam creatricem transcendere velle, immortalitatem in genus humanum artificiose inducendo, **TIBI** videbor, **LECTOR BENEVOLE**. Verum haud difficulter benigniore iudicio scrupulum depones, ubi immortalitatem hanc, non positivam, sed negativam, & perpetuitatem dixerō. Notum enim illud **JUSTINIANI** in *Nov. 7. cap. 2. in princip. & l. 33. ff. de servitut. urban. præd.* Nihil scilicet positive perpetuum, stabile, multo minus æternum in rebus humanis inveniri.

Quam autem nunc Tibi exhibeo de fideicommissis familiarum perpetuis **Dissertationem**, quinque constabit capitibus, quorum 1) de causa materiali. 2) de causa formali. 3) de causa efficiente. 4) de causa finali: 5) demum de effectu ager. Hæc præcedent & subsequenter duo discursus: *præliminaris & finalis*. Quorum *primus*, de *origine & quidditate fideicommissi*: *Alter de amissione & interitu tractabunt*. Siquidem in his non ad salivam, aut a nullum repereris factum, recordare illud Poëtæ:

*Nemo pene nihil, Nemo scit omnia,*

Interim si aliud nolis, aut nequeas, saltem approba conatum: nonnunquam enim *voluisse*, ad gloriam valet.

DISCUR.



) 9 (

DISCURSUS PRÆLIMINARIS

DE

*Notatione, definitione, divisione, differentia & origine  
fideicommissorum.*

SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>§. 1. De Etymologia &amp; homonymia fideicommissi.</p> <p>2. De definitione fideicommissi.</p> <p>3. De divisione fideicommissi in universale &amp; particulare.</p> <p>4. Aliud expressum, aliud tacitum.</p> <p>5. Aliud reale, aliud personale, aliud purum, aliud non purum.</p> | <p>6. Aliud dividuum, aliud individuum, primogenituralis, majoraticum &amp; senioraticum.</p> <p>7. Differt a bonis avitis, feudo, pactis successoriis &amp; primogenitura.</p> <p>8. De fideicommissorum origine, tam in genere, quam in specie.</p> |
|---|---|

§. I.

**N**ominis definitio philosopho, libro 4. polit. cap. 1. principium rem ipsam intelligendi audit; atque ideo forte Jurisconsulti *Paulus* in l. 2. §. 2. ff. de reb. credit. & *Julianus* in l. 51. princip. & §. 2. ff. ad l. aquil. nominis rationem investigandam putarunt. Horum exemplo, differentiationem a nominis origine auspicabor. Quum autem fideicommissum a *fide* & *committo* oriri, Imperator in princip. de fideicom. hered. & §. 12. eod. luculenter ostendat, supervacuum foret, si in inquirenda vocis origine nimium longus esse vellem, quoniam tunc præsertim de nomine, minus curandum est, si intelligatur, quid significetur, potiorque rerum quam nominum habenda ratio, l. 7. ff. §. 2. de suppellect. legat. Scrupulosa igitur vocis etymologia ruminacione philologis relicta, varias tantum vocis hujus significaciones paucis subjiciam. Etenim ea interdum tam late sumitur, ut ad omnes actus inter vivos, quibus

B

quibus de non alienando paciscimur, a D.D. trahatur, teste ANTON de PETR. *tr. de fideic. Q. 4. p. 30.* 2) accipitur pro pacto successorio, quod fideicommissum *conventionale* appellant. ANTON de PETRA *d. l. 3.* sumitur pro ultima voluntate & quidem vel *causaliter* (a) *objective* seu *materialiter* pro ipsa re, quæ per dispositionem ultimam ab aliquo nobis relinquitur, *L. 2. ff. de Legat. 2. L. 21. §. 2. de Legat. 3.* (b) *formaliter*, pro ipsa defuncti sententia, qua heredem rogat, ut alteri quid det, vel faciat: vel *effective*, pro jure, quod vi illius dispositionis fideicommissario competit, idque vel *ad rem* sc. ante restitutionem, vel *in re*, post restitutionem.

§. II.

Quod definitionem realem attinet, fideicommissum, quidem aliter ab aliis definitum invenio, placet autem mihi definitio celeberrimi SCHAMBOGEN, quæ communis & recepta est, tam apud Theoricos, quam practicos, quod nimirum Fideicommissum sit species ultimæ voluntatis, qua verbis obliquis aliquid alicui relinquitur. Ita laudatus SCHAMBOGEN *Inst. de fideicom. hered. in princip.* & LAUTFRBACH. *ad Sctum Trebell.* Siquidem hæc a famosiore analogato desumpta definitio omnibus fideicommissi speciebus convenit, regulariter enim fideicommissa per ultimam voluntatem relinquuntur: De fideicommissi familiæ perpetui descriptione, vid. *infra Cap. I. §. I.*

§. III.

A definitione proceditur ad divisionem, quam variam esse, variæ leges ostendunt; Siquidem §. *Imprimis* & §. *propterea* *Inst. de fideicom. hered. & ad Sctum Trebell. in ff. & Cod. de universali agunt. lib. 29. 31. 32. ff. & Cod. communia de legat. & fideicom. & Inst. titul. 24. de particulari.* Universale est quando

quando vel tota hæreditas, vel pars hæreditatis, verbis obli-  
 quis relicta est. Debet autem esse pars *quota*, non *quan-*  
*ta*: quantitas enim particulare tantum inducit, hinc *l. 14.*  
*§. 7. & 8. ff. ad SCtum Trebell. l. 15. & 16. cod.* exempla fidei-  
 commissi universalis exhibent. Particulare est: Quando  
 res particularis verbis obliquis relinquitur: ut si quis argen-  
 tum, fundum &c. rogavit restitui, *princip. Inst. de sing. reb.*  
*per fideicommiss. relid.* Et de hoc accipienda est adæquatio in  
*L. 2. Cod. commun. de legat. & fideicommiss. l. 1. ff. de Legat. 1. &*  
*L. 87. ff. de Legat. 3.*

§. IV.

Expressum est, quando expressis verbis constat, ali-  
 quem tale fideicommissum instituere voluisse, ut fit in tex-  
 tu *l. 69. §. 2. ff. de Legat. & pluribus à KNIPSCHILD citat.*  
 quando enim verba dispositionis clara sunt, dispositioni, per  
 verba importatæ, standum est. *argum. l. 30. ff. de Legat. 1.*  
 Tacitum est, quando in necessariam tantum, cum expressa  
 aliqua dispositione, consequentiam, vel ex aliis rationibus &  
 conjecturis, mentem disponentis fuisse, fideicommissum in-  
 stituere, elucefcit. Tale est in *l. 94. l. 67. §. fin. de legat. 2.*  
*& l. 11. §. Item si quis de legat. 3. & hic improprianda sunt*  
*verba, ut servetur intentio, Cap. humane aures II. XXII. 5. &*  
*Cap. 2. requiris 41. X. de Apell.* Hinc formulam: *ich will/dass*  
*die nach ihnen hinterbliebene Güter auf meine Tochter*  
*zugleich kommen und fallen sollen/ fideicommissum indu-*  
*cere, recte decidit TABOR decis. 53. n. 98. B. de LYNC-*  
*KER decis. 915. præsertim inter liberos fideicommissa qui-*  
*buscunque verbis induci, probant textus & DD. in L. 115.*  
*de Legat. 1. L. 2. C. comm. de Legat. TABOR Decis. 43. n. 31.*  
 quamobrem his verbis: *Dasß wann ein Kind ohne Leibes*  
Erben

Erben stirbe / mit dessen Verlassenschaft / wie es die Lands  
 Rechte erfordern / gebahrt werden solle / fidei commissum  
 contineri, responsum est apud HORN. *Class. 7. Resp. 25.* &  
 quamvis sola adhortatio, de bonis probe curandis, fidei  
 commissum non inducat, LYNCKER *Decis. 210.* tamen  
 per prohibitionem de non alienanda re extra familiam, vel  
 agnationem, fideicommissum ceteris paribus constitutum  
 censi, nemo facile negare aufit. vid. STRUV. *S. J. Civ.*  
*Ex. 36. tb. 17.* LYNCKER *Vol. I. Resp. 173. n. 33. sq.*

§. V.

Reale fideicommissum est: quando bona absque cer-  
 tarum personarum mentione perpetuo in familia manere  
 jubentur, ut in *L. Pater §. filiam & sequent. de leg. 3. & pluri-*  
*bus a KNIPSCHILD. Citat.* Tanta hujus virtus est, ut gra-  
 vamen reale operetur, fundumque fideicommissarium o-  
 nere inalienabilitatis perpetuo constringat, FARINAC. *in*  
*Collect. Decis. Rotæ Rom. parte 2. Decis. 231. n. 1.* Personale,  
 quando personæ, non rei onus restitutionis injungitur, ut  
 si Titium Mævio bona deferre jubeo. Huc spectat exem-  
 plum *l. 38. §. 5. ff. de Leg. 3.* Aliud est purum, aliud non pu-  
 rum. Purum est, quando nec conditio, nec dies apponitur.  
 Non purum est, quando vel sub conditione, vel sub modo,  
 vel ex die, vel in diem fideicommissum est constitutum.  
 Effectus autem puri fideicommissi & non puri, cuique, nisi  
 in jure hospes esset, patet,

§. VI.

Fideicommissorum divisio ulterior est, quod alia  
 sint dividua, alia individua. Dividuum est, quod vel ini-  
 tio pluribus simul, non ordine successivo vocatis, relictum  
 est, vel cujus divisionem nec verbis expressis, nec tacita dispo-

disponentis mente prohibitam esse colligitur. Individuum est quod uni tantum, vel pluribus ordine successivo, vel sub qualitate majoris vel primogeniti, senioris, aut proximioris defertur. Et tot iterum fideicommissi sunt species, quot nominavi in Individuo fideicommissi qualitates. Vocato enim *primogenito* & ejus descendentibus, fideicommissum *primogeniturale* est. *Majore de Domo, majoraticum* erit, *seniore de familia, senioraticum; Proximiore, secundum aliquorum recentiorum intentionem, proximiticum*. Est autem differentia inter hæc fideicommissa, nam primogenitura, quamdiu aliquis de linea supereat, ad aliam non transfertur, in senioratu, quis senior de familia sit, & non linea attenditur. Majoratus accedit utrumque, si enim major pro majore natu, vel seniore de familia, accipiatur, Majoratus a senioratu non differt, majorque ætate, filios defuncti excludit, & hanc propriam majoratus naturam dicit BETZIUS *de pact. fam. Illustr. cap. 8. §. 49. in fin. §. 50.* Si vero sumatur pro majore natu in eadem linea, primogenitura est.

§. VII.

Non exiguam cum fideicommissis affinitatem habent bona avita, feuda, pacta successoria, & primogenitura. Differunt tamen: Et 1.) fideicommissum a *bonis avitiis*; quia horum continua successio fit vel ex pacto, vel dispositione primi instituentis, nulla habita ratione paternæ aut maternæ lineæ, & fideicommissum regulariter est inalienabile, secus bona avita, *l. 19. Cod. de donat.* SCHNEI-DEW. *ad §. 2. Inst. de donat.* 2. Differt a feudo: quia hoc non ex institutione majorum, sed domini gratia provenit, ad fidelitatem obligat, investituram requirit, ob feloniam

B 3

amittitur,

amittitur, hæc absunt a fideicommissis. 3. *A pactis successoriis*: Quamvis enim hæc, ut §. 1. monui, sub nomine fideicommissorum *conventionalium* veniant: a fideicommissis tamen vere talibus, multis modis differunt, quippe quæ 1) inter mortis causa figuras referuntur, *L. 31. pr. ff. de mort. caus. donat.* 2) ab unius voluntate dependent, *L. p. de legat. 1. L. 11. §. 2. de legat. 2.* 3) per fideicommissa intra unam tantum familiam successio defertur, *THYL ad Exam. J. feud. Strykii cap. 4 §. 34. verbo Ganerbinatus.* 4) in fideicommissis, quarta Trebellianica locum habet, quæ singula ad fideicommissum conventionale applicari nequeunt: quod nec inter mortis capiendi figuras referri potest, nec ab unius dependet voluntate, non unam tantum, sed diversas continet familias, nec ab eo quarta Trebellianica deducitur. vid. *LYNCKER V. 1. Resp. 67. n. 27. sq.* 4) a primogenitura, ut genus a sua specie; primogenitura enim fideicommissio constitutam, esse speciem fideicommissi *num. preced. dixi.*

§. VIII.

Quandoquidem vero id demum perfectum est, quod ex omnibus sui partibus constat, monente GAJO *in l. 1. ff. de orig. jur. in ipsa*, etiam fidei commissorum incunabula inquiram. Hæc autem ad illud sæculum refert BASILIVS *Vol. 5. Disp. 34. thes. 3.* ubi homines integriore fide pacta servabant. Usum illorum ante tempora Ciceronis inolevisse, colligit HARPRECHT. *Inst. ad §. fin. de fideicom. heredit.* Sub Numa Pompilio viguisse, dicit MYNSING. *in scholiis ad eand. §.* Quidquid sit, certum est, quod Augustus his primo consuluerit, iubens consules, auctoritatem interponere, restituensque relictum sibi a Lucio Lentulo in Africa. Post-

Postmodum certus prator creatus, qui de his ius dixit. Post crebrius invalescente fideicommissorum usu, tempore Neronis, Trebellianum, Vespasianum & Pegasianum, S<sup>c</sup>ta lata sunt, quæ a Justiniano in unum transfusa §. 7. *Inst. d. tit.* & semper ex Trebelliano restitui iussit. vid. *Nov. 108*. Origo autem & progressus familiarum nobilium in specie providæ nobilitati, utpote, quæ probe sciverat, aptiore remedio & Reipubl. & familiæ consuli non posse, quam si conservatis opibus, magnifica & pollens posteritas præclaras antecessorum aras splendidius attolleret, quæstuario vitæ genere non obfusandas, omni, fastas majorum domos ad externos convertendi, occasione præscissa.

CAPUT PRIMUM

DE

*Causa materiali fideicommissi familiæ perpetuæ.*

SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. De definitione fideicommissi familiæ perpetuæ.                                  | bus constitui possint fideicommissa familiæ perpetuæ.   |
| 2. Constituitur in immobilibus.  | 7. Quatenus jura in fideicommissum dari possint.  |
| 3. Quatenus fideicommissa familiæ in rebus universalibus constituantur.            | 8. Quatenus in nominibus possit constitui fideicommissum familiæ & ceteris actionibus personalibus. |
| 4. De rebus immobilibus, in quibus constituantur fideicommissa familiæ, in specie. | 9. Quatenus in mobilibus.   |
| 5. De domibus & aliis ædificiis tractatur.   | 10. Quis debeat esse proprietarius materiæ rei fideicommissariæ.                                    |
| 6. Quatenus in variis immobilibus.   |   |

*Causa materialis objectiva hujus fideicommissi sunt omnes res, in quibus fideicommissum constitui potest. De quibus*



quibus antequam plenior aperiat disceptatio, desiderata hactenus fideicommissi familiae perpetui descriptio hic videtur interponenda. Est igitur liberalitas quaedam instituentis primi, bona sua in aliquem transferentis ea lege: ut illo deficiente & deinceps juxta dispositionem ipsiusmet instituentis successio deferatur, & bona in familia perpetuo conserventur.

§. II.

Nulla autem generalior cynosura pro his dari posse mihi videtur, quam haec: Quod unice iis in rebus constituitur, quae ad finem horum fideicommissorum faciunt. Hoc cum tantum in rebus immobilibus fieri existimem, ob sui durationem, principaliter & regulariter in his, & quae iis comparantur, vel destinatione una perpetuum immobilium usum praestant, aut valore immobilibus aequiparantur, aut indivisibiliter adherent, vel in necessariam eorum consequentiam veniunt, fideicommissa familiae constituuntur. Haec autem sequenti enumeratione magis elucescent.

§. III.

In rebus universalibus posse constitui fideicommissum, non minus ac rerum universitas in seodum dari potest. Donationemque in universalibus factam subsistere. *l. 35. §. 4. Cod. de donat.* indubium est. Constat hoc ex lege *1. §. 1. Inde Neratius §. 1. 45. ff. ad Scrum Trebell.* ubi de restituenda hereditate agitur. Sed obstat: in rebus universalibus dantur multa mobilia, & vitium partis, totum afficit, ergo in hereditate non potest constitui fideicommissum familiae perpetuum. *32.* Illa sequi naturam principalis, consequenter quod non subsistit per se, subsistit per consequentiam *l. 2. Cod. de bon. vacant. l. prator 1. ff. §. 6. vers. plane, de vi & vi armata, eundem*

Item



Item L. 9. Cod. unde vi. in quibus interdictum unde vi pro immobilibus solum comparatum in eorum consequentiam etiam mobilibus adaptatur.

§. IV.

In illis autem bonis immobilibus maxime constitui solent fideicommissa familiae, quae bona avita vocantur, tum propter rationabilem in illa affectum, quem PLINIUS L. 2. Ep. 15. ita exprimit: *me praedia materna parum commode tractant, delectant tamen ut materna* § L. 7. Ep. 1. Ego, inquit, illi ex praediis meis quod vellet, & quanti vellet obtuli, exceptis maternis paternisque: *His enim cedere ne CORELLIAE quidem possum*: add. QUINTILIAN. declam. 298. ubi quarit: *Num Tu vendas agellum meum, num paternos avitosque cineres?* & declam. 237. *penates illos*, inquit, *in quibus natus sum, qui mihi quotidiana imagine adhuc versantur ante oculos, illos penates in quibus sacri aliquid esse credimus*; tum quia his familiae summe gloriantur, utpote, quae non modicum nobilitati adferunt splendorem, DIONYS, HALICARNASS. L. 3. Rom. antiq. in princip. Inter immobilia praecipua sunt praedia, fundi, hinc in his constitui posse fideicommissum, habet L. 77. §. 10. 11. § 13. & 27. L. 78. §. 3. de Legat. 2. Sed quaestio est, an fideicommissum constituto, etiam fructus continentur? R. Vel fructus sunt pendentes, vel sunt separati, si pendentes, fundum sequuntur, L. fin. §. fructus 6. ff. qua in fraud. credit. pars fundi sunt. L. 44. ff. de rei vindicat. Secus est de separatis. Alia quaestio est, an in fructibus pendentibus tale fideicommissum possit constitui? R. per se non potest. Natura enim fructuum impedit, quo minus in illis absque fundo consideratis constitui possit? utilitas enim illorum consistit in perceptione proxima, & sic pro jam perceptis habentur. arg. L.

penult.

C

*penult. ff. de testam. milit. L. 41. §. 14. ff. de Legat. 1. proinde ratio fideicommissi deest, scil. perpetuitas.*

§. V.

Immobilia sunt domus & ædificia; *L. 1. ff. §. 8. de vi & vi armata.* Unde in his constituitur fideicommissum, *L. 38. §. 2. de Legat. 3.* quo constituto, licet mobilia in domo non comprehenduntur, continentur tamen omnia illa, quæ perpetuum ædificii usum concernunt, *L. 17. §. 7. ff. de action. emt.* suntque vel intra, vel extra domum *L. 91. §. 5. ff. de Legat. 3. L. 47. ff. de contrab. empt. & L. 47. ff. de damno infecto.* Eadem dic de castellis, arcibus, castris, burgis &c. Sunt autem castella sive castra, loca arcta & constricta, fortalitiis instructa, ita ut paucis servari possint, *L. 2. Cod. de offic. præfect. prætor. Afri. §. 14.* Idem dic de arcibus & burgis, de his KNIPSCH, pluribus.

§. VI.

Non minus immobilia sunt sylvæ, roboraria, &c. Item ornithones, flumina privata, piscinæ, lacus, stagna, lapicidinæ, metallifodinæ, &c. Et, si quidem in sola sylva constitutum, conservanda est sylva. Fideicommissio autem continentur arbores grandes, non caduæ, quæve pro semine sylvæ renascentis relinquuntur, quas proinde pro lubitu suo possessor cadere non potest, Aliud est in caduis & gremialibus, quæ rursus renascuntur, & has licet cadere, quovis tempore, modo, & qualibet quantitate, imo ultra indigentiam possessor vendere potest arg. illorum quæ in simili de Usufr. docet D. NEUMAN. de PUCHOLTZ in annot. ad Zoëf. tit. de usufr. & sequent. major enim fideicommissario, quam usufructuario concedenda videtur libertas, cum dominus sit fideicommissarius. Quod si vero non in sylva sola, sed fundo constitutum esset, liberum e-

rit

rit in sylva in fundo sita, agere, quid velit, dummodo fundus maneat. Idem dic de roborariis, Vivariis, piscinis, fluminibus privatis &c. An vero pisces in piscina vel stagno contineantur fideicommissis? distinctione expeditur, vel enim sunt ibi ut multiplicentur, vel tantum custodia causa, si ut multiplicentur, sunt pars stagni, vel piscinae, & pro fructibus pendentibus habentur, secus est si tantum custodia causa ibi habeantur.

§. VII.

Omnia jura realia, etsi natura sua immobilia non sint, possunt tamen in feodum dari, 2. feud. tit. que sint Regalia. Cap. unic. ergo etiam possunt esse materia fideicommissi, cum a feodo ad fideicommissum valeat argumentum. Etiam in aliis juribus incorporalibus feodum constitui potest: Et quanquam res incorporales tertiam quandam speciem a rebus mobilibus & immobilibus constituere videantur. L. 15. ff. §. 2. de re Judicat. tamen ubi de eo agitur, quoniam jure potius censenda sint? magis est, ut jure immobilium habeantur, hujus juris sunt annui reditus, quod reluctante Magistro meo, cui ZOES. placuit, enuntio, & hoc iubet Clement. Exiit de Paradiso §. cumque annui reditus de V. S. l. 14. vers. aut annonas civiles Cod. de S. S. Ecclesiis. Novell. 7. in princip. vers. vult. enim. Esto enim annuos hos reditus tandem emanuros, hoc plane erit per accidens, & non obstat, quin annui reditus dicantur habere perpetuitatem negativam.

§. IIX.

In capitalibus, creditis, nominibus constitui possunt fideicommissa familiae perpetua. KNIPSCH de fideicom. fam. nob. & quamvis juxta cit. KNIPSCH. tertiam quandam speciem a rebus mobilibus & immobilibus constituere videantur

ur, ut dictum antea de rebus incorporalibus, *per leg. quam tuberonis 7. §. in peculio ff. de pecul. l. 15. §. 2. ff. de re judicat. l. 1. Cod. de prator. pig.* Si tamen ad alterutrum bonorum partem necessario veniant referenda, solet communiter ita distingui, ut si actiones & nomina ad res mobiles competant, mobilibus accenseantur, si vero ad immobiles, immobilibus.

§. IX.

Sunt & mobilia quaedam perpetuitate temporis inconsumptibilia, & ista fideicommissio subjici possunt. Talia sunt Cymelia, vasa aurea, argentea, ornamenta ex gemmis vulgo det *Geschmuck.* & similia, quæ pro splendore familiæ ad usum non modo virorum, sed & fœminarum illustrium spectant. *BESOLD. part. 6. consil. 263.* praxin hujus frequentem in Bohemorum Metropoli Praga expertus sum, & si pretiosa hæc vel in totum, vel pro parte consumpta essent a fideicommissi possessore, alios creditores omnes in concursu forte moto, aut movendo, in prima classe præcederent.

§. X.

Ceterum res istæ fideicommissio gravandæ possunt esse cujuscunque, vel propriæ, vel communes, vel alienæ, arg. legatorum, ubi hæres rem legatam redimere debet, si sit aliena, si autem dominus eam vendere nolit, pretium præstandum, quod ex præsumpta instituentis fideicommissum voluntate in emptionem rei impendendum fuisset. Non autem facile circa res alienas erigenda sunt. Unde expressa illarum mentio & scientia requiritur, alias de suis videtur voluisse disponere. *Gloss. ad Leg. ex factò in princip. ad Scrum Trebell.* Dixi requiri scientiam, quod res fuerit aliena, & hoc fideicommissarius probare debet. *§. non solum Inst. de Legat.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM

DE

*Causa formali fideicommissi Familiae perpetui.*

SUMMARIUM.

1. Constituantur tam per actus inter vivos, quam ultimæ voluntatis.
2. Quod per actus inter vivos demonstratur.
3. Successio fideicommissaria pactis etiam stabiliri potest.
4. Per modum donationis non tantum in specie, sed, etsi omnia bona donentur, constituitur.
5. Introducuntur etiam statuto, consuetudine & præscriptione.
6. Coniecturæ etiam inducunt fideicommissa.
7. An fideicommissum testamentum non comprehensum per testes probari possit.
8. Legitima in erectione fideicommissi debet esse salva.
9. Pater tamen fideicommissum familiæ instituens, si filias congrue dotet, supplementum legitimæ petere non possunt.
10. Uno possidente, reliquis de alimentis congruis providendum.

§. I.

Natura tantum, non tempore, posterior forma est, aiunt philosophi; hinc immediate, postquam de materia, agendum de forma, quæ in qualibet re plurimum spectanda, cum det esse rei, nolo tamen hic nimium philosophari, ac formam intrinsecam fideicommissorum scrutari, alias enim voluntas constituentis indaganda esset, sed extrinsecam tantum inquiram, ita ut mihi idem sit scire, quæ sit forma fideicommissi, aut quomodo fideicommissum constituatur. Fideicommissa autem, si vocem hanc late accipimus, vid. *supr. Disc. præh. §. 1.* aut *ultima voluntate*, aut *pactis* constituantur, quod autem per ultimam voluntatem, tam per *testamentum*, quam *codicillos*, *Novell. 22. Cap. 2. L. 120. ff. de verb. signif.* Imo ultimis voluntatibus præ pactis maiorem

C 3

favo-

majorem favorem esse, innuit *L. 1. Cod. de S. S. Eccles. & L. 10. ff. de inoff. testam.*

§. II.

Quamvis regulariter fideicommissa ultima tantum voluntate constituentur, §. *non tantum Inst. de Codicill.* adeo, ut fideicommissum per actus inter vivos, complures negent citati a MANZ. in *Epitom. de fideicom. part. 2. quæst. 2. n. 11.* tamen verius est etiam per actus inter vivos fideicommissa, licet non vere talia, vid. supr. *Disc. præf. §. 7.* constitui posse, si enim testando aliquis rebus suis legem, quam vult, apponere potest, etiam quodlibet onus contrahendo imponere poterit, *L. 10. Cod. de pact. L. Legem 1. Cod. de pact. convent.* Præterea valet argumentum ab ultimis voluntatibus ad contractus, *L. quæ de Legato 46. ff. de Legat. 1. L. 26. ff. de pignorat. action. L. 4. ff. de operis libert. &* quidem in specie fideicommissum potest per contractum constitui, arg. *L. sanctimus. Cod. de reb. alien. non alienand.* Item per donationem, *L. 2. & 3. Cod. de donat. an autem necessaria sit stipulatio vide late PEREGR. de fideicom. art. 15. n. 3. & sequent.* præsertim cum absenti obligationem non quæri, notum sit, saltem in regula.

§. III.

Quod de contractu dicitur, idem de pactis sentiendum. Fratres enim duo nobiles in id coeunt, ut bona illorum non alienentur, sed semper in familia maneant. KNIPSCHILD. *cap. 6. n. 32.* pactum erit. Possunt etiam duo conjuges inter se convenire in contractu matrimonii, ira: ut dos vel donatio propter nuptias in re aliqua immobili nunquam de familia exeat, sed perpetuo ad primogenitum, vel alium, deferatur. Monendum tamen hoc non intelli-

intelligendum esse, de tota hereditate, nec parte *quota*, sed *quantia*, propter obstantia iuris loca. *l. 5. Cod. de pact. l. fin. Cod. eod.* Hæc pacta generali Germaniæ consuetudine quasi invaluerunt & vocantur germanice **Erberbrüderungen**: tum quod in his captanda mortis suspicio abfit, tum splendor familiarum tueatur; Et talia pacta etiam posteros obligant per modum & in vim quasi dispositionis paternæ inter liberos; cum enim de mente illorum aliter, quam quod posteritati voluerint prospicere, non constat, omni meliori modo servanda est. Pacta talia de non alienandis bonis extra familiam iniverunt Comites de **Oldenburg** anno 1306. Et anno 1435. Nobiles à **Biermund** modo Comites, anno 1495. Nobiles a **Freyberg** in Suevia, anno 1566. teste **HERING** de *fidejuss. cap. 1. n. 130.*

§. IV.

Potest etiam constitui fideicommissum per modum donationis, *L. 2. §. 3. Cod. de donat. quæ sub modo*, & hoc indubitatum est, de ea, quæ fit mortis causa, cum in vim ultimi elogii sustineatur. Facilius etiam procedit conclusio de rerum singularium dispositione, sic potest Comes vel Baro agnato suo castrum cum appertinentiis dare, eo fine ut perpetuo in familia maneat. Sed major quaestio est: an per donationem omnium honorum constitui possit fideicommissum, quod autem donatio omnium honorum valeat concluditur ex *L. 3. Cod. de revocand. donat. L. 5. Cod. de inoff. donat. L. 35. §. etsi 4. Cod. de donat.* Et unicum quod obstat est, quod talis tibi adimat facultatem testandi, sed cum in cujuslibet potestate sit testari velle ac nolle *L. 1. ff. qui testam. facere possunt*, tollitur. Vid. **KNIPSCH.** *cap. 6. n. 59. §. sequent.* Hæc autem donationes, si summam *§. 2. Inst. de donat.* excedant, insinuanda

insinuandæ sunt ab omnibus, nulla personarum distinctio-  
nis & qualitaris habita ratione, ut tamen Principes, Comites  
& Barones imperii Romano germanici immediati hæc lege  
eximendi sint.

§. V.

Cum eadem consuetudinis, statuti ac contractus pacti-  
ve virtus sit, sicut per pacta & contractus fideicommissa, ut  
paulo ante dictum, introduci possunt, sic & per pacta & con-  
suetudines. Ita si generalis in provincia, aut particularis in  
aliqua nobili familia vigeat consuetudo, arcens scæminas a  
successione, jubensque illas certa portione contentas esse, fi-  
deicommissum familiæ consuetudine introductum esse ap-  
paret, si enim pacta successoria consuetudine firmari pos-  
sunt, cur non etiam fideicommissa induci, cum consuetu-  
dini & legi sit eadem vis, §. 9. *Inst. de jure nat. gent. & civ.*  
Idem dicendum de statuto generali vel speciali in certa fa-  
milia, cum non debeat esse minor vis expressi, quam taciti.  
Pariformiter de præscriptione ratiocinandum, hæc concessio-  
ni imperiali æquiparatur, *cap. super quibusdam §. præterea de*  
*verb. signif.* Exemplum fideicommissi per statutum introdu-  
cti habetur iam in veteri testamento *Lev. cap. 25. v. 123. &*  
*sequent. & num. cap. 36. per totum.*

§. VI.

Diversa adhuc fideicommissorum forma est, quod aliæ  
tacite per præsumptiones inducantur & coniecturas. Et  
quamvis regulariter non præsumantur, sed probari debeant,  
idem tamen est, an per expressam, an per tacitam disponen-  
tis mentem, quæ ex urgentibus coniecturis colligitur, pro-  
bentur; siquidem sola instituentis voluntas in fideicommissi-  
sis spectatur, quomodocunque de illa constare possit. Imo  
etsi verba non videantur importare fideicommissum, si  
tamen



tamen sufficientes adsint coniecturæ de certitudine voluntatis, fideicommissum inductum esse, haud ambigitur. PEREGRIN. *Consl. 45. vers. 4. & ult.* urgentes autem debent esse coniecturæ, FUSAR. *de fideicom. substit. quest. 276. n. 4.* & hoc si de inducendo agitur. De inducto etiam leves sufficientiunt, cum aliunde quivis propagationem suæ familiæ & agnationis promovere velle præsumatur, quod autem tales coniecturæ sufficiant, probatur ex *L. 74. ff. de Legat. 1. & Leg. 26. §. 1. ff. de hered. instituend.* Imo ab expressis verbis recedere & mentem coniecturis probatam sequi, iubet *L. 16. §. 2. & L. 17. §. fin. ad SCum Trebell.*

§. VII.

De coniecturis his tractat fufius FUSAR. *loc. cit.* & dicitur plerumque hæc probatio artificialis & intrinseca. Quaritur autem hic utrum etiam extrinseca & inartificiali scilicet per testes, & affirmative, ita FUSAR. *loco supra cit. quest. 283. per L. quoties 9. §. 1. & 2. ff. de hered. instituend. L. 64. ff. de Legat. 2. L. 7. Cod. de testam.* De numero autem testium in tres iverunt sententias, prima septem testes requirit, si in testamento relictum sit, si in codicillis, quinque; secunda indistincte quinque requirit pro substitutione obliqua probanda: tertia duobus tantum testibus contenta est, quod & verum est de iure Can. *Cap. cum esset 10. de testam.* Sicut & de fideicommissis inter liberos *L. 12. Cod. de testam. aurb. quod sine Cod. cod.* Placet autem generaliter media sententia, ratio est, quia in omni ultima voluntate quinque testes requiruntur, *L. 8. §. fin. Cod. de Codicill.* Nemo autem dubitat tale fideicommissum pro ultima voluntate haberi.

§. VIII.

In erectione fideicommissi familiae perpetui legitima debet esse salva, cum hæc iure naturæ debeatur. *auth. hoc amplius Cod. de fideicom. & L. 7. ff. de bon. damnat.* & licet vicem alimentorum non semper obtineant, tamen cum filii vivorum parentum quasi hæredes dicantur, prohibitio de non alienando ad legitimam extendi non potest. Nec obest Patrem liberum rerum suarum arbitrium habere. Nam hoc verum est, quoad eas res, quæ patris sunt absolute, nec leges filius quasi dominium, vivis adhuc parentibus, addiunt. *L. parentibus Cod. de inoff. testam.*

§. IX.

Pater volens providere familiae suæ nobili, instituit fideicommissum, filias autem legitime dotat, legitime dico, hoc est, vel secundum generalia statuta provinciae, vel particularia familiae, talis filia nunquam potest agere ad supplementum legitimæ; quia anticipatione solutionis naturale debitum quasi extinctum est. *DEC. in Leg. Jura Sanguinis ff. de Reg. Jur.*

§. X.

Ut plurimum autem unus fideicommissum possidet, quod consultius est: Regnum enim infociabile scribit *TACIT, Annal. lib. 2. & CURTIUS rer. gest. lib. 9.* triste conregiminis exemplar vidit nascens Roma, dum, ut *LUCANUS* ait:

*Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

Neque tamen reliqui vacuis abibunt manibus, sed de necessaria honestaque sustentatione ipsis debebit provideri, & hæc debet esse, *Ihrem Stand gemäß!* hæc sustentationis portio dicitur Gallis *apennage*, quali *abannagium*, ac si velent dicere *Sindabweisung!* hinc etiam dicuntur Domini  
appa-

appanagiati, abgefundene Herrn. Hoc autem appanagi-  
um cum ipsis non assignetur, ut pars hæreditatis paternæ,  
sed per modum provisionis & alimonii, alienari nequit. Si  
deinde familiam augeri contigerit, omnibus ex ea descen-  
dentibus, est assignanda sua portio. SCHRADER *de feud.*  
*part. 8. cap. 2. n. 45.*

CAPUT TERTIUM

DE

*Causa efficiente fideicommissi familie perpetui.*

SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Voluntas instituentis est pri-<br/>maria &amp; proxima causa fidei-<br/>commissi familie.</p> <p>2. Regulariter ille potest facere<br/>fideicommissum, qui per actus<br/>tam inter vivos, quam ulti-<br/>mam voluntatem disponere.</p> <p>3. Hinc pupilli fideicommissa con-<br/>cedere non possunt.</p> <p>4. Nec qui sunt sub curatela ut<br/>minor, prodigus, mente ca-<br/>ptus.</p> <p>5. De illis, qui non habent plenum<br/>rei dominium in specie, &amp; an<br/>super directo dominio fidei-<br/>commissa familie constitui<br/>possint.</p> <p>6. An &amp; circa quæ bona possit</p> | <p>constituere fideicommissum fi-<br/>liusfamilias.</p> <p>7. Rerum alienarum administra-<br/>tores fideicommissa non con-<br/>dunt.</p> <p>8. Fœminæ nobiles sicut &amp; ple-<br/>beæ fideicommissa familie per-<br/>petua facere possunt.</p> <p>9. Quæ personæ fideicommissio<br/>gravari &amp; quibus fideicommis-<br/>sum constitui possit.</p> <p>10. Modus succedendi in fidei-<br/>commissio exponitur.</p> <p>11. An clerici &amp; religiosi in fidei-<br/>commissis familie perpetuis<br/>succedere possint?</p> <p>12. Ut succedere quis possit debet<br/>esse legitime natus.</p> |
|---|---|

§. I.

**F**Rustra est ius nosse, si personæ, quarum causa constitu-  
tum est, ignorentur, ait Imp. *§. fin. Inst. de jur. nat. gent.*  
*et civ. digrediendum proinde ad personas, quæ constituunt*

D 2

&

& quarum causa constituuntur fideicommissa, vel causa efficiens proxima fideicommissi est sola voluntas ipsius instituentis. *L. 12. §. fin. ff. de Legat. 2.* Hæc regit conditiones *L. 19. princip. ff. de condit. & demonstrat.* hæc in omnibus dominatur, *L. 23. in fin. Cod. de Legat.* Imo totum facit *L. 35. §. 3. ff. de hered. instituend.* Voluntas etiam lex est, imo potentior ipsa lege; cum dispositio hominis faciat cessare dispositionem legis, *L. 5. Cod. de necess. serv. hered. instituend.* Voluntas autem debet esse legitima, id est a tali persona procedere, ut velle habeat. *L. 55. ff. de Legat.* hinc mox de potestate.

§. II.

Illa, quæ sunt de genere permissorum, omnibus licere, palam est, & cum huius ordinis sit fideicommissum, (facultas autem generalis fundatur in *L. 21. Cod. Mandat. & L. 10. Cod. de pact. convent.*) cuilibet fideicommissa facere licebit, nisi specialiter prohibeatur, prohibentur autem specialiter, quæ testamenti factionem non habent, neque contrahere possunt, vel qui aut ob rei aut personæ qualitatem vinculatum dominium habent, si alienare aut testari non possunt, ergo nec fideicommissa facere.

§. III.

Sive ob defectum pleni domini, sive alio quovis modo prohibeatur, certum tamen est, prohibitos fideicommissa constituere non posse. Primo loco sunt ex defectu administrationis, pupilli, *L. 17. ff. de iurejurand.* qui nec sine tutoris auctoritate bona alienare aut obligare possunt. *L. 15. ff. de solut. & liberat.* nam vel testamento constituendum est, & obstat pupillo defectus iudicii, *L. fin. Cod. de testam. milit.* *L. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. §. 1. Inst. quibus non est permiss. fac. testam.* vel erigendum conventionem & pacisci non potest, *L. 28. ff. de*

author

*author. & consens. tutor. & L. fin. ff. commod. & hoc tam fine quam cum tutoris autoritate, quia non a tutoris autoritate ultima voluntas pendere potest, L. 1. §. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. nec per actus inter vivos; quia est quasi donatio. §. Legatum 1. & 3. Inst. de Legat. ad donationem autem tutor autoritatem suam prestare prohibetur, L. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. Imo nec Magistratus alienationem nisi causa exigente decernet, L. fin. Cod. si major fact. alienat. fact. sine decret. ratam habuerit, ergo nec autoritate tutoris.*

§. IV.

Cum minor testamenti factionem habeat, de eo paulo aliter est discurrendum, & non dubitandum, quod possit per testamentum fideicommissum condere, L. 5. ff. qui testam. fac. poss. & L. 4. Cod. eod. Non tamen per actus inter vivos, nam in feudum dare non potest, 2. feud. tit. 3. §. 1. in princip. ergo nec fideicommissum constituere. Quod de minoribus dicitur, etiam ad alios, quibus curatores dantur, extenditur. Mentis capri tamen & furiosi lucidorum intervallo tempore testari possunt, & contrahere, L. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. L. 9. Cod. eod. L. 2. Cod. de contrah. empt. Prodigus, qui talis declaratus est, non potest, L. 18. ff. qui testam. facere poss. & §. 2. Inst. quibus permiff. fac. testam. Deinde quis speret a prodigo fideicommissum familiae, qui praeter abligurire bona nihil quaerit. Secus tamen esset, si ipsi tantum lequester, & non curator datus esset. Sed NB. sic etiam non esset declaratus prodigus, sed tantum administratio ipsi esset adempta.

§. V.

Si ergo illis, quibus sola bonorum administratio inhibita, non licet condere fideicommissa, minus licebit pu-



ro administratori: sicut enim nihil magis naturale est, quam domini rem suam in alium scilicet fideicommissarium, transferre volentis ratam habere, *L. 9. §. 3. ff. de acquirend. rer. dom. §. 40. de rer. divis.* ita nihil repugnat validius, quam illum de re aliqua valide disponere, qui dominus non est: Dominus non plenus est, dominus utilis: ut est vasallus & emphiteuta, & hi nec feoda, nec emphiteusin, nisi hereditaria essent, fideicommissio subijcere possunt. Sed utrum dominus directus hoc possit? quaestio est: Et r. quod non: 1. *feud. cap. 2. vers. si quis, & clarus 2. feud. cap. 34. §. 1.* ut ut enim domini interest, sibi invito novum vasallum non obtrudi, ita vasallo expedit alium non obtrudi dominum, cui feudali fide astringatur. Potest tamen etiam in ipso dominio directo dispositio fideicommissaria constitui, si nimirum illos dispositio fideicommissaria comprehendat, ad quos jure hereditario successio in dominio directo esset perventura. Nec obstat, quod aliunde successores dominium alienare non possint, consequenter constitutio fideicommissi nihil operaretur. Idem enim, potest tamen dominus alienare feudum volente vasallo, aut in casu necessitatis, illis etiam invitis, nisi feudum esset mere oblatum, Deinde vasallus potest etiam servitia redimere, & hoc per impositionem fideicommissi impeditur.

§. VI.

Fili rerum paternarum, vivo etiamnum patre, quodammodo domini dicuntur, sed in spe §. 2. *Inst. de hered. qualit. & diff.* Imo non tam hereditatem percipere, quam administrationem continuato in illis, quod vivo patre habebant, dominio, consequi dicuntur *l. 11. ff. de liber. & posthum.*

*posthum. per. tot.* Hinc queritur an possit facere fideicommissum filius familias? *ff.* Cum imbecille valde sit dominium in spe, continuationem in casu institutionis, prætentionis, vel ab intestato operans, per justam autem exheredationem omnino evertibile. Quod non de propriis filii familias bonis utiliter procedit quaestio, & de castrensibus non est dubium, nec de adventitio irregulari, cum pleno domini jure hæc possideat. Ratione autem postremi tantum procedit quoad actus inter vivos non etiam quoad ultimam voluntatem, denegata enim est filiofamilias testamenti factio, *in princip. Inst. quibus non est perm. testam. facere* & ab actu inter vivos, stante personæ incapacitate, quæ nulla lege sublata est, procedit argumentatio necessaria. Imo expressa est lex in contrarium *penult. Cod. qui testam. fac. poss.* Æquitas tamen aliud videtur suadere, ne id quod in vivis permittitur, ultima voluntate veniat denegandum, *L. unic. Cod. de leg. fus. Canin. tollend.* præcipue cum favor ultimæ voluntatis sit ampliandus, *L. 1. Cod. de S. S. Eccles.*

§. VII.

Illi, qui aliquomodo domini sunt, plenum tamen non habent dominium, fideicommissa condere non possunt, ergo multo minus illi facient fideicommissa, qui nullum ius in re habent. Sunt quidem dominorum loco, *L. 27. ff. de administrat. & pericul. tutor. L. 7. §. 33. ff. pro empt.* tamen de ipsa re disponendi & eam alienandi potestas denegata vel restricta est, *cit. L. 7. §. 3. pro empt.* & tum dicuntur domini, cum administrant, non cum spoliant. Hinc procuratores, tutores & curatores pupilli nomine fideicommissa facere non possunt, nec per ultimam voluntatem, ut quæ ab alieno dependere

pendere non potest arbitrio; *L. 320 ff. in princip. de hered. instituend.* Nec per actus inter vivos, quia per tutores & curatores stare non potest, quo minus pupillorum, dum ad pubertatem venerint, libera impediatur dispositio, quod hic fieret. Procurator tamen ad hoc, ut cum aliis fideicommissam meo nomine faciat, dari potest per actus inter vivos saltem. *§. IIX. sub. de non iudicandis.*

Personas plures fideicommissa condere capaces & incapaces suppetet *tit. Inst. qui testam. fac. poss.* & alibi materia contractuum, donationum, ita: ut ad hanc materiam commoda illatio fieri possit. Additionaliter tamen adhuc quæram, an foeminis & plebeis liceat facere fideicommissa familiae perpetuae; *z.* nihil vetat: liberam enim rerum suarum administrationem habent, & naturale est status sui ac posteritatis incrementum desiderare. Deinde fideicommissa condere est de genere permissorum, consequenter cum nec mulieri nec plebeo facultas hæc ulla lege adempta legatur, libera rerum suarum dispositio ipsis non est auferenda. Nec obstat, finis fideicommissorum familiae. Qui est splendoris familiae conservatio, mulieres autem cum ipsæmet sint finis familiae partim videantur sollicitæ de illius conservatione, plebei vero splendorem plerumque familiae nullum habent, consequenter irritè studeant illum conservare. *z.* In regno Bohemæ videmus plura exempla, ubi foemina insignes fideicommissorum conditrices fuere, imo mitior plerumque & liberalior, etiam subinde ad destructionem, foeminarum in filios animus quam parentis, utpote qui sapius de futura morte uxoris, & alia juvene accipienda, & suscipiendarum cum illa prolium cogitant. Plebei autem æque ac nobiles suam posteritatem



steritatem in egestate ac squalore videre nolint ideo, quod naturale sit, conservationi posteritatis suæ studere.

§. IX.

Sciendum nunc primo, qui possint gravari fideicommissis, secundo, in quorum favorem constituantur. Docet primum **ULPIAN.** in *L. 1. §. sciend. 6. ff. de Legat. 3.* scil. fideicommissa ab iis relinqui posse, quibus datur vel non adimitur, ut hæredibus, legatariis, fideicommissariis, tam universalibus, quam particularibus; Item donatariis mortis causa, & aliis omnibus, qui ex iudicio disponentis aliquid capiunt, ita tamen, ut non in plus constituatur fideicommissum, quam ad eos pervenerit, §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideicom. relic.* In horum autem favorem fideicommissum familiæ perpetuum constitui potest, qui ex contractu vel testamento capere possunt, **KNIPSCH.** *de fideicom. fam. nobil. cap. 14. n. 1.* ubi tandem concludit, feminis, monachis, spuris, infamibus, qui aliqua ad succedendum incapacitate laborant, fideicommissum familiæ constitui non posse, cum in his splendor familiæ non conservetur, sed cum iis occumbat.

§. X.

Modus succedendi in fideicommissis familiæ perpetuis observatur sequens. Primo nominatio facta ab instituyente attenditur, quæ triplex est, *individualis*, quæ nomine expresso & proprio fit; *specialis*, quæ fit nomine appellativo, & *generalis*, quæ fit nomine colectivo. His omnibus potior censetur illa, quæ fit nomine proprio, & succedunt præ omnibus eo ordine, quo vocati sunt, *L. 77. §. 32. ff. de Legat. 2.* nec attenditur proximus gradus, quia fortior est præsumptio affectus, quæ ex nominatione expressa, quam sanguinis coniunctione oritur, **FUSAR.** *de fideicom. substitut.*

E

quæst.

qu. 359. n. 2. Imo tam fortis est, ut filii conominatorum ex-  
 clusi censeantur, conominatis mortuis, quia sibi videntur sub-  
 stituti. MENOCH. *Conf. 200. n. 17.* Post expresse vocatos veni-  
 unt, qui nomine appellativo vocati, ut nomine fratrum, ne-  
 potum, filiorum, ita tamen, ut proximior arceat remotiorem,  
 præsumentur enim disponens voluntatem suam iuri comuni  
 accommodare, dum aliud non exprimit. MANTIC. *de conj. ult.*  
*volunt. lib. 6. tit. 6.* Itaque ordo successivus obtinet in his, ut  
 æquales gradu, æqualiter succedant, nisi mens testatoris, aut  
 fideicommissi, aliud exigat. Inter dispares autem tantum  
 gradu proximiores admittantur, & familia sive agnatione  
 vocata, illi succedunt, qui sunt de familia, sive agnatione  
 successive vocati. §. XI.

Quod clericos a fideicommissis familiæ arcere posset,  
 est, quod clericus tanquam inhuptus ex vita institutos fami-  
 liæ propagationi studere non possit. Verum hoc non ob-  
 stante succedere possunt, cum ratio fideicommissorum non  
 sit familiæ per matrimonia propagatio, sed bonorum dun-  
 taxat ad familiæ splendorem in familia conservatio, hoc  
 autem æque in clericis obtineri potest, ergo. Ratio etiam  
 ulterior esse potest, quod clerici agnationis iura retineant,  
 parentibus ex testamento & ab intestato succedant, *L. 55.*  
*§. 1. Cod. de Episcop. & Cler.* bona patrimonialia possi-  
 dere & de his disponere possunt, *Can. 19. Caus. 12. quest. 1.*  
*feudum acquirere & retinere, 2. feud. cap. 15. n. 23.* aliud  
 est de monachis, monasterii etiam bonorum capax, nam  
 licet iura agnationis salva maneant, iuxta *cap. quia nos. num.*  
*2. de testam.* tamen non gaudent successione, scilicet quia,  
 finis conservatio bonorum in familia deficit; monasteri-  
 um enim de familia non est, & monachus possidere non  
 audeat. §. XII.

§. XII.

Inhabiles natalium defectu sunt plurimis: sic spurii, ex damnato, adulterino, incestuoso, & nefario coitu nati non admittuntur, & omnes, qui alio quam matrimoniali complexu procreati sunt. De his fuse FUSAR. *de fideicom. falsis. quest. 3. 14. u. s.* legitimis legitimati per subsequens matrimonium comparantur & per omnia sunt similes, *Cap. tanta. 6. X. qui filii sunt legitimi.* De legitimatis per rescriptum principis autem res hac distinctione expeditur, si princeps ad hoc ordine eos legitimaverit; secus non, cum princeps reliquis agnatis ius quaesitum auferre voluisse non presumitur, latius vid. KNIPSCH. *de fideicom. cap. 8. in 35. e. & sequent.* qui contrarium defendit. Coronicis loco generaliter notandum, hos in fideicommissis admittendos esse, qui a successionem non prohibentur.

CAPUT QUARTUM

DE

*Causa finali fideicommissi familia perpetui.*

SUMMARIUM.

1. Finis fideicommissorum familiae perpetuorum est, ut continua bonorum conservatio splendor & decus familiarum conservetur.
2. An prohibitio alienationis racione insit ipsis fideicommissis.
3. Alienatio, quae tam per actus inter vivos, quam per ultimam voluntatem sit, possessori est interdicta.
4. Alienatio tamen certis in casibus permilla est.
5. An onus fideicommissi possessor rei fideicommissariae imponere possit & quando?
6. An fideicommissa sint divisibilia.
7. Haec fideicommissa tamen operantur contrarium effectum.
8. Hinc fideicommissa dividua sunt optima.

§. I.

**A**sumpta a causarum generibus presentem fideicommissorum materiam elucubrandi methodo, causa finalis prima licet intentione, executione tamen postrema, occurrit; hæc autem est, decus, splendorque familiæ, continua bonorum, avitorum vero præcipue, in familia, conservatione suffultus ac sustentus; Tanto enim certius est, opum & divitiarum affluentiam facere plurimum ad familiarum decus ac splendorem, quanto emicantiores radii solem atollunt, qui in se licet sit nobilissimus, si quando tamen nube obduci contingit, inamœnus delitescit. Sit enim ut lamentatur BODIN, *de Republ. L. 3. cap. 8.* non quæstu dignitatem, pecuniis ordinem, nobilitatem opibus, metiendam esse, quod nec solæ divitiæ nobilem efficiant, paupertas non modo mala non sit, sed nec dignitatem, nec famam, nec nobilitatem auferat; tamen manca & ludicra est nobilitatis jactantia, ubi debitæ facultates deficiunt, TIRACQUEL, *de nobilit. cap. 25. n. 9.*

§. II.

Ideo igitur, ut bona conserventur, instituta sunt fideicommissa. Quapropter hæc Spho quærendum, an fideicommissum semper hoc operetur, ut res alienari non possit extra familiam? *Re. affirmat.* Hæc enim fideicommissorum natura est, ut etsi expressam alienationis prohibitionem adiectam non habeant, tacitam tamen operentur, hoc effectu, ut res extra familiam alienari non possit, probat hoc ALCIAT. *de verb. & rer. signif. lib. 1. n. 10. & sequent.* causæ finalis, inquit, vis ac potentia est, ut ab ipsa non modo statuta & leges, sed & pacta hominumque dispositiones suam sortiantur interpretationem, subsumo: At qui

qui finis est, bona conservari in familia, quod non fit per alienationem, ergo & fideicommissa sic debent interpretari, etiamsi expressam alienationis prohibitionem adjectam non habeant. Et hoc non tantum in fideicommissis per ultimam voluntatem constitutis, sed & in iis, quæ per contractum fiunt, nam licet in contractibus stricta interpretato facienda sit, & valeat regula expressa nocent, non expressa non nocent, debeatque sibi imputare, qui cum legem clarius dicere potuit, & non dixit; quia tamen iam sapius favore familiarum nobilium earumque conservationis, multa a communi iuris ordine usavenere, etiam quoad hunc casum alii standum est resolutioni. Qui enim pacto familiae vel per contractum prospicit, non minus vult prospicere, quam qui per ultimam voluntatem id agit, ergo æque omnia videtur intendisse, sine quibus intentionem suam assequi non potest, argumento *ALCIATI citati supra*. Deinde qui actum aliquem gerit, validum gerere voluisse præsumitur, ergo. Ultimo denique, illa, quæ ex natura actus insunt, nunquam abesse, sed adesse præsumuntur, subsume & ipsemet iam deduc consequentiam.

§. III.

Cum ergo fideicommissa tantam vim habeant, ut alienationes circa illa factæ non subsistant, & hoc ex intrinseco fine fideicommissi familiae; indubitatum est, non tam alienationem inter vivos, quam quæ per ultimam voluntatem fit, valere. Rario autem huius est: Quia fideicommissa, utpote ex natura sua, perpetua, instituentis destinatione, successiva restitutioni subiacent, sed quæ subjacent successivæ restitutioni, alienari non possunt, *L. fin. §. 2. Cod. commun. de Legat. & fideicomm. auth. Cod. eod. L. 3. §. 3.*

ad *Scum Trebell.* Secundo in quem res sub certa lege transfertur, contra legem venire non potest; in possessorem fideicommissi autem res sub certa lege transfertur, scilicet onere restitutionis: ergo illam nullo modo alienare potest, nequidem in ultima voluntate, vocando proximum, de fideicommissi *Anwarther* / nam vel certus succedendi ordo designatus est: nec ne: si designatus est, tunc ordo attenditur, & sic non iure sanguinis succeditur, sed pro ordine designato, & ex illo ordine ad voluntatem primo instituentis: si autem certus ordo non est designatus, tunc iure sanguinis succeditur, ergo nunquam beneficio, siue institutione defuncti, devolvitur successio ad possessorem.

§ IV.

Quæ dicta sunt, dicta sunt in regula: sunt enim casus, ubi alienatio rerum fideicommissariarum possessori permittitur, si nimirum ab instituyente ipsi concessa sit. *FUSAR. de fideicom. substitut. quest. 546. & seqq.* vel necessitate, aut magna fideicommissarii utilitate suadeatur. *KNIPSCH. cap. 10. a n. 216. usque ad finem.* Videlicet: quod bona fideicommissaria alienari possint ex causa æris alieni ab institutore provenienti. Item ex causa dotis *n. 234.* ex causa legitimæ & alimentorum *n. 309. & sequent.* pro alienatione rerum fideicommissariarum ex aliis causis, plura vide apud *KNIPSCH. cit. n. 10.*

§ V.

Nec postremum inter ea, quæ fini fideicommissorum familiæ averfantur principaliter, locum habet onerum quorumlibet impositio, ut ita, sicut alienatio interdicitur, non minus oneris impositio aut aggravatio prohibita sit. Non potest itaque fideicommissi possessor alienare prohibitus bona

bona fideicommissaria oppignorare, *L. fin. Cod. de reb. a. lien. non alienand.* & prohibita alienatione omnis actus, quo res in alium transire potest, aut quo via ad alienationem sternitur, est prohibitus; *L. 18. § L. 67. ff. de verb. signif. § cit. Lex fin. aperte.* Gravamen etiam solent afferre constitutiones dotium; secundogenitorum appanagia, redditus viduales, *der Wittibliche Unterhalt* & similia, quia tamen sunt onera; quæ ad conservandum familiæ splendorem, non omnino sunt evitabilia, ideo prohibita fideicommissi alienatione, nullo modo censentur esse exclusa. Moderatio autem in hisce provide adhibenda est, ne ex una parte splendor familiarum a fideicommissi conditoribus intensus; provide quoque sustineatur, ex altera vero parte conservatio bonorum principaliter intenta adjuvetur, & ita finem fideicommissorum huius generis tam salutarem obtineri eveniat.

§. VI. Occasione illorum, quæ de alienatione dicta sunt, queritur, utrum hæc etiam intelligenda sint de divisione. Verum paulo aliter est discurrendum, nam fideicommissa vel sunt dividua, vel individua; de individuis non est questio; sed dividuis tantum. Casus: testator dixit: volo bona mea in familia manere abstrahendo a prohibitione divisionis, intrinsece præsumitur prohibuisse, cum omne id censetur exclusisse, per quod finis fideicommissi familia perpetui, quæ est conservatio, & splendor familia, attenuatur, nam uti unitas (coeteris paribus,) & indivisio maxime prodest ad conservationem, TIRAQUELL. *de jure primogen. Lib. 1. cap. 2. n. 5.* ita divisio plurimum ad diminutionem contribuit; divisione siquidem res maxime decrescunt, BALD. *in auth. hoc amplius. n. 8. Cod. de fideicom.*  
GAIL.

GAIL. *Lib. 1. Observat. 153. n. 5.* ut difficulter post crebriores divisiones splendor familiarum conservari possit.

## §. VII.

Fideicommissa familia perpetua, humanam immortalitatem dixi in rubro hujus libelli. Verum homo proponit, Deus disponit, & nisi dominus edificaverit domum, invanum laboraverunt, qui edificaverunt eam, *Psalms 126.* & hoc evenit subinde in fideicommissis primogenitalibus & maioraticis. Cum ejusmodi fideicommissorum conditores, accumulando bona, quantum fieri potest, in unum primogenitum & successores, aut natu majorem, sibi blanduntur, fore, ut hocce remedio familiae splendorem stabiliant, dum econtra familiae suae propagationi obicem ponunt. Si quidem secundogeniti non raro defectu opum statum ecclesiasticum arripere, vel in coelibatu, exponendo vitam etiam ad familiae gloriam in militia sagata, permanere coguntur. Fit deinde, ut familia iam in extremis iacente, viribus generandi destituti, vel ex profana, vel ex sacra militia, per dispensationes summi pontificis, sed irrito conatu, vocentur, cuius exempla & haec nostra aetas allegare posset, nisi luctuosos ejusmodi eventus recoquere odiosum foret. Conclusionis loco esto: perpetuitatem familiae stabiliri quam maxime, si perpetuitas familiae, propter quam bona conservantur, non infringatur, juxta saluberrimum divi Justiniani nostri monitum in *Novell. 39. in fin. princip. §. 22. de nuptiis in princip.*

## §. IIX.

His sphae praecedenti adductis exemplis, & quibusdam aliis rationibus, moti illustres testatores, aptiora putarunt fideicommissa dividua, ubi praesertim reliquis de familia



familia provideri ex allodialibus non potest, in his autem bona tantum, quantum fieri potest, dividuntur falvis natu majori jurisdictionalibus, & si bona in se essent indivisibilia, fructus inter plures in communione juris constitutos fideicommissarios dividuntur. Sane in Serenissima domo Saxonica ad possibilem humano modo perpetuitatem, masculorum posteritate multiplicata, antiquissimum fuit, ducatus & dominia extra portionem electoralem, vi aureæ bullæ primogenituræ subjectam, inter posteros, salva inalienabilitate, ita dividere, uti apparet ex testamento Alberti ducis Saxoniae de A. 1573. nec non Electoris Joannis Georgii primi de anno 1652. apud LUNICHIUM in *Reichs Archiv partis specialis andern Theil der vierdten Abtheilung anderten Absaz. pag. 24. 98. & 169.*

CAPUT QUINTUM

*Effectu fideicommissi Familiae perpetui.*

SUMMARIUM.

1. Effectus fideicommissi in actionibus ejus nomine competentibus, & juribus fideicommissariis consistit, actio autem ut competat, de ejus existentia debet constare.
2. An ante casum successionis fideicommissariae existentem, proximus successor fideicommissi ad juris sibi competentis declarationem agere possit?
3. Ad Inventarium & cautionem tenentur possessores fideicommissi,
4. Fideicommissum familiae transmittit ad successorem ipso jure.
5. Casu fideicommissi purificato, datur actio vel ex testamento, vel ex contractu, pro ratione constitutionis fideicommissi.
6. Datur etiam successori proximo fideicommissaria hereditatis petitio, tam contra gravatum, ejusque heredem, quam contra alios rerum fideicommissariarum possessores vel

F

vel

- vel pro hærede vel possessore possideat.
7. Contra alios, titulo singulari possidentes, datur rei vindictio, fundata in dominio instituentis, successione devoluta, ipso jure in successorem translato.
8. An & quando vindicans pretium refundere, & emptori venditor de evictione stare teneatur?
9. Etiam successor fideicommissarius actione publiciana agere potest. Sicut & hypothecaria competit.
10. Ad possessionem fideicommissi consequendam remediis possessoris successor fideicommissarius uti potest.
11. An possessor verus rerum fideicommissariorum dominus sit?
12. Fructus citra rei fideicommissariae deteriorationem e rebus fideicommissariis provenientes ad possessorem fideicommissarium pertinent.
13. Quid Juris remaneat priori possessori, fideicommissio restituito.

§. I.

DE fideicommissis familiae perpetuis in constituendo, habito potissimum ad personas instituentium respectu, hactenus differtum fuit, at nunc magis intuitu personarum succedentium discurrendum est: scilicet de jure in fideicommissa succedendi, & remediis successione delatam petendi, res interim alienatas revocandi, jura possessori competentia exercendi &c. Quod, ut ordine fiat, observandum: ille, qui ad fideicommissum sibi delatum agere vult, duo præprimis probanda habet: videlicet fideicommissum fuisse constitutum, & casum successione extare, secundo se esse agnatum ad fideicommissum vocatum, & quidem gradu proximiorum, cui jus succedendi delatum est. In regula enim, ut iam dictum est, non præsumitur fideicommissum, MASCARD. *de probat. conclus. 775. n. 1.* & generale est, actorem fundamentum suæ intentionis probare

re debere. *L. 2. ff. de probat.* In probatione tamen sufficiunt coniectura, uti dictum iam latius, KNIPSCH. *cap. 6. n. 99. usque ad n. 143.*

§. II

Non autem sufficit probare, extare fideicommissum, sed casus successionis actu probetur extare necesse est. Hinc notabilis oritur quaestio, an ante casum successionis fideicommissariae futurus fideicommissi possessor agere valeat ad hoc, ut ex tum fideicommissi successor legitimus declaretur? *ꝛ. negative*; omne enim ius, quod futurus successor habet, conditionale est, hoc autem tunc primo effectum sortitur, cum conditio evenit, *L. cedere diem 213. ff. de verb. signif.* Deinde JCtus diserte de relicto conditionali loquens in *L. 45. §. 1. ff. de Legat. 2.* dicit, *nec pertinet ad nos, antequam dies veniat vel conditio existat*, ergo agere ante non poterit, deinde juris futuri declarandi gratia nulla prodita in jure est actio. Nemo autem sine actione experitur, *L. 6. §. fin. ff. de negat. gest.* excipiuntur tamen casus: Si possessor titulum possessionis mutare, eadem alienare & dissipare, tabulas fideicommissi occultare, radere, cancellare, bona pro liberis, jactitare, ex quo juri ipsius praedjudicari possit, incipiat, sic melius erit jura intacta servare, quam causa vulnerata remedium quaerere. His casibus ergo potest ius praesens cum futuro cumulari, & ad alienationis rescissionem agi, ut exacta cautione alienatio vel dissipatio probari possit actione doli, vel ob personam conjunctam in factum ager, si jactationem adducere velit, per *Leg. diffamari s. Cod. de ingen. & manumiss.* experietur.

§. III.

Duo principalia ante enatum substitutionis vel successionis fideicommissariae casum futuris successoribus com-

F 2

petunt

petunt remedia, nempe inventarium & cautio: inventarium quidem infantibus substitutis conficere adeo tenetur fideicommissi possessor, ut contra illum detrectantem in litem jurari possit, MARZAR. *in epitom. fideicommiss. part. 2. quæst. 54. n. 84.* & quanquam contrarius sit KNIPSCHILD, faltetm & contumacia & dolo in litem jurare admittetur substitutus, per *L. 2. §. 1. ff. de in lit. jurand.* Deinde omnes qui ad restitutionem obligantur, tenentur conficere inventarium, ergo &c. De cautione præterea non dubitandum, si ve dissipet, nec ne, *tot. tit. ff. ut. Legat. & fideicommiss. causa caveat.* & hac cautio cum omnium intersit etiam a remotiore peti potest, ad *L. 8. ff. de stipulat.* responderi potest, quod illa lex loquatur in distincto casu; scil. illo, ubi hæres sub conditione institutus fuit, cui prætor dedit bonorum possessionem non gravando satisfactione; & ibi JCtus repromissionem si ve stipulationem prætoriam putans sufficere ait: potest videri calumniose satispetere, quem alius antecedit, hoc est alius institutus.

§. IV.

In regula de jure communi restitutione opus est a gravato facienda, antequam successori competat aliqua actio, *L. 37. & 63. in princip. ff. ad SCtum Trebell.* potest etiam de jure communi ad restitutionem compelli, *L. 4. & L. 30. & 17. ff. ad SCtum Trebell.* Sed in his non opus est restitutione, nec restituatur hæreditas ex SCto ut olim, quia primus possessor statim dicitur fideicommissarius, deinde hoc habebat ratione Trebellianica, sed hæc hic cessat, ergo. Tertio, de claro jure fideicommissarii constat, ergo per multas ambages non est distendendum, non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate & frustra sit per plura, quod potest fieri per pauciora.

§. V.

§. V.

Itaque absque restitutione a gravato facta statim, ut casus fideicommissi evenit, omnes, tam reales, quam personales actiones de iure comparatae competunt. Inter actiones personales autem fideicommissi familiae perpetui nomine competentes, praecipua est actio ex testamento: datur autem haec actio omnibus ad fideicommissum vocatis, adversus haereditatem, ad rei fideicommissariae restitutionem, vel etiam ex consequenti ad revocationem alienationis a gravato aut eius haerede factae, & pro ea parte, qua quis alienavit, vel restituere gravatus est, hac actione tenetur, *L. 67. §. 4. & L. 77. §. 27. ff. de Legat. 2.* altera, quae pro fideicommissio personalis competit actio, est: si fideicommissum sit per actus inter vivos constitutum, actio ex illo contractu, per quem constitutum est. Et datur haec actio tam adversus constituentem, quam haereditatem, extante casu fideicommissi, adversus posteriorem gravatum alienantem vel decedentem, eiusque haereditatem, eodem modo, quo actio ex testamento. competit hac actio, uti prior successoribus omnibus, secundum ordinem proximitatis, quia & in his ordo successivus obtinet, & pariter contra tertios possessores non datur, quia personalis est.

§. VI.

Alia actio comparata est contra tertium possessorem, quae est fideicommissaria hereditatis petitio, quae vel ideo inter actiones reales computatur, quod ratione rei possessae in possessorem detur, quod proprium est actionum realium, *§. omnium 1. Inst. de action.* mixta tamen est per textum expressi, in *L. haered. 7. Cod. de petit. haeredit.* Quidquid sit, actio ad id comparata est: ut res fideicommissariae a quo-

quocunque, pro hærede vel possessore possidente, repetantur. Datur itaque fideicommissario successori, contra eum, qui vel totum fideicommissum, vel rem fideicommissariam singularem vel pro hærede, vel fideicommissario vel possessore possidet, & contra possessoris hæredem ad hoc, ut petens successor declaretur, & res fideicommissaria cum omni causa sua restituatur. Nec obst. l. 3. §. 1. ff. de fideicom. heredit. petit. nam illa de vero herede loquitur, cujus titulus subsistit, & loquitur de uno fideicommissario substituto, non ubi pluribus successionebus emensis, contra ultimum possessorem, ejusque hæredem, qui intuitu fideicommissi, non hæres, sed possessor tantum est, agitur; ut in casu fideicommissi familiæ perpetui evenit. Notandum tamen, non contra quemvis possessorem hanc fideicommissariam hæreditatis petitionem institui posse, sed tantum contra illum, qui titulo universali pro hærede, vel possessore possidet, vel etiam singulari, sed tamen ab eo, contra quem actio hæc competiisset, ut est ipse gravatus; ratio autem hujus est, quia succedit in locum sui auctoris, & factio alieno juris sui persecutio difficilior reddi non debet. Si vero aliunde bona fide & singulari titulo possideat, tunc non competit: ex ratione, quia hæreditatis petitio fideicommissaria adinventata est, ad instar hæreditatis petitionis civilis, PAUL. in l. 2. ff. de fideicom. heredit. petit. sed hæc non datur contra possessores singulares, l. 2. §. 7. Cod. de petit. heredit. ergo nec fideicommissaria: sed & contra talem tertium possessorem, actione, de qua mox, experiendum est.

§. VII.

Actio realis ad repetenda bona fideicommissaria alicui competens, est rei vindicatio, dum autem contra tertium pos-

possessorem rem nec ab instituyente, nec a gravato possidentem, experitur, non sufficit dicere, rem a relinquente possessam fuisse ( hoc enim facile admittet conventus, sed defunctum non fuisse dominum, & ideo nec successorem esse posse, controvertet,) sed petens fideicommissum dominium comprobet, necesse est, alias possessor ob posterioris possessoris prerogativam pravalebit. Itaque qui fideicommissum vindicare intendit, rem in bonis vel dominio fuisse, probare debet, *MACCARD de probat. conclus. 779. per totum.*

§. IIX.

Rei vindicatio competit contra tertium etiam possessorem titulo singulari possidentem, nullo etiam refuso pretio, si illicite extra casum jure permisso contingerit alienatio, argumento a feudo desumpto *tit. 3. §. 1. tit. 9. §. 1. vers. porro. tit. 26. §. Siquis vers. titius in fine.* Ubi proximus agnatus jure successionis veniens nullo dato pretio feudum recuperare potest, ergo a pari, fideicommissi successor. Interim tamen aliter loquendum de alienatione licita, quae cum lege permittenda fiat, retractatur, quod fit refuso pretio, *Cap. constitutus §. x. de integr. restitut. & cit. lib. feud. & tituli.* Eodem modo etiam si in aliquem de familia remotiorem alienatio facta sit, quamvis pro vita possessoris non illicite fieri dici possit, ideoque eatenus subsistat, tamen eveniente casu fideicommissi, & successione in proximum agnatum devoluta, robur illius penitus corrumpit, & pro illicite facta haberi incipit. Nec curandum est damnum, quod talis sciens, pretium refundere coactus subit, per *leg. 20 §. ff. de Reg. juris & l. 53. ff. eod.* Quod si tamen gravamen ignoraverint emptores, evictione ipsis prospexit, etiam si nihil conventum sit. *l. 60. de evict. & dupl. stipulat. l. 6. Cod. eod.* Imo si scienter emerit, nec pacto de evictione, sibi prospexit. *l. fin. Cod. commun. de legat.* Ad obstantem *leg. 27. Cod. de evict. & leg. 27.* loqui de re prorsus aliena, legem autem final. de re restitutione subjecta. Et haud mirum est, diaversam in his obtinere dispositionem, quia durius puniendus est, qui scienter rem alienam emit, dominum defraudare cupiens, quam qui emit

rem

rem fideicommissio subjectam, cum fideicommissarius saltem appareat, esse dominus, licet non sit, nisi utilis, & qui deficientibus reliquis substitutis saltem foret dominus. Deinde refusionem pretii æquitas exigit ne scilicet sine causa, cum damno emptoris pecunia apud venditorem existat. *l. 14. ff. de cond. et. indebiti, & aliis.*

§. IX.

Competit actio publiciana iisdem fere casibus, quibus rei vindicatio; Et prior posteriore multo facilior est, quod in illa tantum possessionem, in hac scilicet vindicatione etiam dominium probare debeat actor. Definitur autem, quod sit actio, quæ datur quasi domino ad rem cum titulo, & usucapiendi conditione possessam, adversus alium sine titulo vel infirmiori possidentem ad hoc, ut quasi dominus declaratur, & res cum sua causa restituatur. Sciendum autem, an actor hac publiciana velit agere ex persona propria, vel conditoris fideicommissi, si ex propria, tum se dicit titulo ad transferendum dominium habili possedisse. Si autem accessione temporis ipsius conditoris, uti velit, ipsum & possedisse, & quasi dominium fuisse probare debet. Postrema fideicommissarii competens actio realis, est hypothecaria. Valde utile remedium est, quo res a tertio possessore vel hærede revocatur. Non enim in hac difficilis domini probatio incumbit, quia in hac possessionem constituentis probare sufficit. Nec dubium, illam etiam in tertios rei possessores dari, per *Novell. 108. cap. 2.* Quia hæc actio est in rem scripta, quæ etiam contra tertium possessorem datur.

§. X.

Ad acquirendam possessionem, fideicommissarius tria principaliter habet remedia, interdictum quorum bonorum, quorum legatorum, & remedium *l. fin. Cod. de ed. et. D. Adrian. tollend.* Primo autem competit quorum bonorum; Et licet per *l. 1. ff. quorum bonorum* tantum competat his, qui jure prætorio succedunt, utile tamen etiam aliis successoribus per universitatem accommodatur. Datur autem contra illos tantum, qui pro hærede aut possessore possident, quia secundum citat. leg. non ad singulas res, sed ad universitatem pertinet, ad rerum, quas possident restitutionem. Probare debet actor, se esse legitimum fideicommissi successorem. *argum. l. 1. Cod. quorum bonorum;* ubi qui tanquam filius bonorum possessionem præterdit, se defuncti filium probare



bare debet. Secundo quorum legatorum. Quod datur fideicommissario universaliter adversus possidentes titulo legati vel fideicommissi, sed hæc interdicta valde angusta sunt. Et idem per fideicommissariam hereditatis petitionem obtineri potest. Oportunissimum autem remedium est illud *l. final. Cod. de Edict. D. Adrian. tollendo*. Hic enim tantum probatur tabulas testamenti nullo sensibili vitio laborare, & adversus quosvis possessores infirmiori jure possidentes missionem in bona operatur. Ut autem remedium legis finalis locum habeat, fideicommissum debet constitutum esse per ultimam voluntatem.

## §. XI.

Penes quem rerum fideicommissariarum dominium sit, autores multi multis adscribere sententiis, alii enim ipsum dicant tantum dominium utilem, usufructuarium, ut alii multis legum argumentis KNIPSCH. & SCHAMB. in *inst. de rer. divis. Et acquir. earum dominio*, § 11 innixi, possessorem fideicommissi dominum enuntiant. At tertia placet sententia, videlicet in fideicommissis familiae perpetuis, quoties aliquis ex familia vocata extat, dominium naturale sive proprietatis penes omnes de familia existere, civile autem cum omni utilitate penes fideicommissi possessorem temporarie residere, ad similitudinem illorum quæ tradit ZOES. ff. de iure dot. n. 26. Auctor quondam mihi familiaris est scholasticus. Cum enim dominium diversos habeat effectus, quorum aliquos subinde unus, uti omnem proveniente ex fundo utilitatem, alius alios, veluti potestatem alienationes revocandi, in eas consentiendi & jus jam a primo instituyente participat; non repugnat diversas dominii species in re eadem secundum diversos respectus dari, prout in feudis, emphiteusibus, per adinventum a doctoribus nomina, ad declarandos diversos dominii effectus, uni directum, alteri utile dominium attribuitur. Sane si nullus fideicommissi successor adhuc existat, uti in descenditibus vocatis, qui necdum nati sunt; dominium rei fideicommissæ obnoxia penes solum possessorem, tamen onere non alienandi vinculatum existet, & sic textus, quorum aliqui possessorem dominum esse, alii rem fideicommissariam alienam esse, admissio possessori dominio civili & temporaneo, familiae vero naturali & perpetuo, facile combinari poterunt.

§. XII.

Quodsi eo modo, quo probatum, fideicommissi possessor rerum fideicommissariarum dominus sit, commodis & juribus omnibus, quæ domino, præter rei alienationem deteriorationemve, conceduntur, frui potest. Consistunt hæc in fructuum quorumvis perceptione, unde dubitandum non est, possessorem fructus & omnia commoda ex rebus fideicommissariis provenientia lucrari. Expressam hoc est in *l. 45. ff. de usur. & fruct.* & alias regulare est, ad illum fructus pertinere, ad quam res ipsa, pertinet. *l. 23. ff. de Rei Vindicat.* Non autem fructus ita auferit, ut fundum relinquat non instructum, cum debeat fundum in eo statu relinquere, in quo accepit, secundo etiam non fructus pendentes, quia sunt pars fundi tertio quoad fructus civiles, est distinguendum, utrum debeantur de die in diem, ut pensiones ex molendinis, popinis &c. Et horum calculus ducitur pro rata temporis, vel an tantum debeantur in certam diem v. g. in recognitionem domini, uti canones Emphiteutici, & census rurales perpetui solvantur, & successor, qui tempore, quo debentur, possidet, cedunt omnino, ad exemplum fructuum pendentium.

§. XIII.

Inter juræ quæ fideicommissaris competunt, non minimum est, quod officio boni viri & diligentis patris familias, non tantum quoad conservationem, sed et meliorationem ipsius fideicommissi, fungi possit. *argm. l. 14. ff. de pignorat. act. l. 39. ff. de negot. gest. & l. 13. ff. §. 4. de usufr.* & quemadmodum ex hoc suboritur quæstio: an & quas in fundum fideicommissarium factas expensas hæredes allodiales prædefuncti possessoris a successore fideicommissi petere possint? norandum impensas alias esse necessarias, alias utiles, alias voluptuarias. Necessariæ sunt duplices, ordinariæ & extraordinariæ, ordinariæ sunt die lauffende Wirthschafft's Ausgaben, quæ ad cujuslibet anni fructus percipiendos necessario erogantur, uti arationis, leminationis &c. Extraordinariæ sunt, quæ ad restaurandum in priori utilitatis forma fundum requiruntur, ut est, ædes diurnitate temporis collapsas reedificare. Illas ordinarias & illas ad facta recta conservanda, quin ferre debeat possessor non est dubium, cum dominus temporarius sit, & salva re omne

omne emolumentum capiat. Idem tamen dicendum de extraordinariis, nam eo ipso, quod testator fideicommissum familiae perpetuum induci voluit, mediis ad conservationem necessariis, successores onerare voluisse viderur, & tali modo ædificiorum & aliorum ad utilitatem perpetuam fundi pertinentium operum, perpetuam conservationem imponere, cum perpetuitas fideicommissi, perpetuitatem subiecti, in quo radicatur, exigit. De utilibus dubium non est, in quantum scilicet res utilior existit. *L. 38. ff. de rei vindicat.* Voluptuarias, in quantum sine deterioratione fieri potest, tollit, cum id malæ fidei possessori liceat, *L. 39. §. 1. ff. de hered. petis.* Quod tamen haud permittitur, si successor tantum se offerat, quantum utilitatis prædecessoris sui prædefuncti habuissent. Ad has impensas consequendas plura remedia competunt possessori, ut retentio, aut si totum restituit, conditio indebiti, vel sine causa, vel negor. gestor. actio, latius de his KNIPSCH. *cap. 12. a n. 130. usque ad finem.*

DISCURSUS FINALIS

DE

*Contrariis Fideicommissi Familiae perpetui.*

SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Subiecto tam activo quam passivo deficiente deficit fideicommissum.</p> <p>2. Cassatur etiam fideicommissum voluntate instituentis.</p> <p>3. An fideicommissio renuntiari possit? hoc effectu: ut per hoc hæredibus præjudicetur.</p> <p>4. Alienatione facta vel in totum, vel in partem, amittitur etiam fideicommissum, vel ex toto, vel pro parte.</p> <p>5. Cessat fideicommissum ex persona, si conditionem aut mo-</p> | <p>dum non impleverit, aut abutatur.</p> <p>6. An &amp; quatenus præscriptione finiatur fideicommissum.</p> <p>7. Quomodo finiatur fideicommissum per sententiam iudicis?</p> <p>8. Tolluntur etiam per voluntatem summi Principis, &amp; quomodo tollantur.</p> <p>9. Confiscatio bonorum non aufert fideicommissum.</p> <p>10. De reliquis modis quibus pro parte finiuntur, vel saltem successively diminuntur fideicommissa.</p> |
|--|--|

G 2 §. I.



§. I.

Quantumcunque provida fideicommissorum constitutione splendoris perpetui incrementum familiis suis illustribus addidisse praedicentur eorundem conditores, ea tamen rerum humanarum est vicissitudo, ut & firmissime constituta collabantur, & in perpetuum ideata vota, non raro deficiant inadimplenda. Ita fideicommissa familiae perpetua, intentione & voto instituentium vere perennia, eventu spectato, profus temporalia efficiuntur, dum injuriis temporum, & irruptionibus hostilibus, inundationibus &c. res fideicommissariae tanquam subjecta passiva extinguantur, his autem extinctis, extinguitur & fideicommissum, quia non nisi nulla est qualitas, L. 41. ff. de reb. cred. & si cert. quid petat. vel etiam ipsa familia deficit, & sic cessat ratio propter quam, cessante hac, ipsum fideicommissum, ex regula cessante causa cessat effectus, cap. cum cessante 60. X. de Appell. Sic usufructus rei interitu cessat, §. 3. inst. de usufr. feudum certis personis concessum, his extinctis & feudum extinguitur, VULTEJUS de feud. L. 1. cap. 10. n. 60. Eadem autem, quae de toto dixi, & de parte obtinent, quia totius e partis eadem est ratio, L. 76. in princip. ff. de rei vindicat.

§. 2.

Nihil tam naturale est, quam unumquodque eodem modo tolli quo colligatum est. Cum ergo sola voluntas testatoris (quae ad extremum usque vitae spiritum ambulatoria est, l. 32. §. 3. ff. de donat. inter virum & uxorem. l. 4. ff. de adimend. & trans. legat.) constituat, sola etiam voluntate tollitur. Dico testatoris; Quia si per actus inter vivos constitutum sit fideicommissum, v. g. per contractum, sicut duorum ad minimum consensus requiritur in constituendo, ita & in revocando l. 9. Cod. de oblig. & act. l. 16. §. 3. ff. commodat. vel contra. Nec obstat fideicommissa pacto, vel contractu constituta, habere vim ultimae voluntatis; Hoc enim verum est, quoad vim & effectum successionis per mortem confirmatae, non autem quoad obligationem, sic enim naturam contractus retinet.

§. III.

Invito non dari beneficium decantata in jure regula est; Ex qua

inferri possit, renuntiari & renuntiatione extingui posse fideicommissum familiae perpetuum. Verum cum dominium naturale non sit penes fideicommissi possessores, contrarium probatur ex l. 18. de *acquir. hared.* § l. 74. de *reg. jur.* Probatur etiam ratione, liberis tam natis, quam nascituris, & aliis omnibus de familia, ad successionem vocatis, jus succedendi immediate ab ipso instituyente provenit, ergo nullo consentientium, etiam omnium de familia pacto alienari, & per hoc nascituris praedjudicari potest; & esto: quod haeres teneatur factum defuncti praestare, tamen hoc tum primo verum est, quando ab ipso defuncto causam habet. Fusius ista discuit KNIPSCH, cap. 11, n. 399. & seq. descendentes tamen tenentur ad interesse, si patris haeres sint ex allodio, ita tamen, ut non graventur in legitima, quae auri alieni instar est.

§ IV.

Cessat etiam fideicommissum ex parte possessoris, non totius familiae, si possessor partem vel totum alienaverit. Sed si possessor, partem alienaverit, an totum committatur? Quaestio est. R. Volunt hoc aliqui, quia conditio de non alienando, etiam unica parte alienata resolvitur: & quod alias poena, quae conventioni apponitur, in parte etiam committatur. Alit non tam conditio quam modus est, prohibitio de non alienando, fideicommissis apposita, quo in parte observato, etiam totum committi & amitti nullibi constitutum est, & id de rigore iuris, & in contractibus valet, & in poenalibus non valet extensio. Potius dicendum obtinere regulam, poena non debet esse major contraventione, atqui in parte tantum contravenit legi, ergo & poenae tantum pro parte suberit, Et ita in Feudis 2. feud. tit. 38. in Emphitev. l. fin. Cod. de *jure Emphiteuseos.*

§ V.

Quomodo ex persona modum aut conditionem non adimplentis cessant fideicommissa l. 6. ff. de *Condit. inst.* l. 1. ff. de *Condit.* & demonstrat. l. 11. ff. de *Condit.* *Causa dat. Caus. non secut.* § l. 21. §. 18. c. ff. de *annus legaris.* Ita quoque si abutatur possessor, aut se illo indignum fecerit, Sic privilegium Canon. 63. *caus. 11. quest. 3. sic usus fructus.* §. 3. *inst. de Usufr.* sic feudum abusu amittitur 2. feud. tit. 27. §. 7. abusus tamen non debet esse modicus, praesertim, ubi de confer-

vando & integre restituendo, cautionem præstitit possessor. Porro abutens indignum se reddit fideicommissio, atque inde est, quod & plures alii ab eo repellendi, quod æque indigni sint ac abutens. Repelluntur autem propter delictum, aut aliquam infamiam, aut venale aut fordium vitæ genus, tanquam indigni, a successione, & plures alii, quos utiliter ex *titul. ff. de his quibus ut indig. auferitur hered.* huc referre possem.

§. VI.

Principalior adhuc fideicommissa finiendi modus est præscriptio, licet rebus fideicommissariis præscribi non posse videatur *l. 2. Cod. de usucap. pro empt.* Hoc tamen tantum intelligendum de præscriptione 10. annorum, cum *lex 3. & 4. Cod. de præscript. 30. & 40. annorum* ab Imperatore ARCADIO & HONORIO, nec non ANASTASIO, consequenter posterius lata sit, lex autem posterior derogat priori, Quoties ergo aliquis de familia majorennis, ante completam præscriptionem, in rerum natura existit, concurrente bona fide & justo titulo & 40. annis contra tala fideicommissum præscribere potest, quod probatur ex *l. 3. & 4. Cod. de præscript. 30. vel. 40. annorum*, & cum hæc præscriptio a lege sit inducta, ab instituyente prohiberi non potuit. Deinde omnes de familia poterant agere, supposita in omnibus pubertate, & aperta per alienationem successione. Nati, præscriptione jam completa agere non possunt, utpote jure illorum jam extincto, iura autem semel extrinsecta, casu superveniente, non reviviscunt.

§. VII.

Casus explicabit, quomodo per sententiam judicis finiatur fideicommissum: Cæjus non de familia fideicommissum instituentis, sed extraneus a fideicommissario Mævius titulo allodii rem fideicommissariam petit, causa cadit Mævius, prædiumque declaratur allodiale. Queritur an tali caso finiatur fideicommissum. R. Finitur, & quidem in præjudicium reliquorum creditorum, nequidem per proclama citat. *arg. l. 2. §. 14. ibi quos proxima spes successioni. ff. de ventr. inspiciend. l. 44. ff. de re judicat. l. 55. §. fin. ff. ad SCrum Trebell.* non etiam citandus, qui non principaliter, sed tantum per consequentiam læditur. *l. quod hereditas & l. si suspecta ff. de inoff. testam.* Sunt tamen plures casus ubi, sententia contra fideicommissum lata, substituit, non præjudicat, ut si lata

si lata sit ob contumaciam possessoris, si collusio facta, probationes competentes omittantur, si per confessionem possessoris aut iuramentum adversarii litis decisio contigerit, & sententia manifeste iniqua appareat.

§. II. X.

Maius quam sententia robur viderur habere voluntas principis. Duplex autem hic est questio: Videlicet an princeps omnem fideicommissorum usum lege generali tollere valeat? Et an particulare fideicommissum aliquod extinguere, voluntatem instituentis immutare, vel aliquem ex voluntate instituentis inhabilem, in reliquorum præiudicium habitare possit? Quoad primum 2. affirmative. Princeps enim motus forte ratione, ex variis regnorum circumstantiis, emergente, aut etiam vi supremæ, qua gaudet, potestatis legislativæ, legem aliquam abrogare potest, ergo. Imo etiam directe hoc non posset, quia fideicommissum creaturam juris gentium dicunt, posset tamen indirecte, actiones civiles hoc nomine competentes, denegando, prætori jurisdictionem, quam ex concessione D. Augusti habet auferendo. Quoad secundum 2. negative. Imo nequidem, ut aiunt, de plenitudine potestatis, quia princeps ius alteri questum sine justa causa auferre non potest, nec in dubio id facere velle præsumi debet. Potest autem in ratione prohibitionis, ut ante dictum, ex justa causa: ut æris alieni ab instituyente contracti luendi causa, dirimendæ litis, & matrimonii ineundi, &c.

§. IX.

Bonorum confiscatione fideicommissa non finiti totaliter argumento plurimarum legum, quas variis cum autoribus citat KNIPSCH. cap. 16. n. 352. & sequent. & tanquam contrarias suæ sententiæ resolvit pulcherrime probatur. Qua ratione cum ipso statuo fideicommissum familiæ perpetuum confiscatione nullo modo tolli, Delicta enim suos debent tenere authores, & factum cuique suum non alteri debet esse nocivum L. 155. ff. de reg. iur. Deinde bona fideicommissi sunt inalienabilia, ut dictum sæpissime, & consentiendo in delictum consentit in alienationem, & ipso momento quo delinquit alienat, ergo illud proximus successor vindicare potest, quia casus successione existit, ergo ipsi via agendi præcludi non potest. Lege desuper KNIPSCH. loco cit.

§. X.

Supereſt videre modos aliquos quibus fideiſſimilla non ſi-  
 tum ſed pro parte diminuantur. Diminuantur autem primo per aſ alie-  
 num a conſtituente contractum, L. 5. Cod. ad S<sup>C</sup>rum Trebell. Secun-  
 do per deductionem legitimam, quæ uti æris alieni inſtar eſt, ita illa,  
 ut dictam jam, gravari nequit. Tertio per dotes & donationes. Prop-  
 ter nuptias; & hoc ex ipſa mente Inſtituentis, qui dum voluit ſplen-  
 dorem familiæ conſervari, certe voluit etiam dotes ac donationes prop-  
 ter nuptias congruas conſtitui; ne defectu dotium & contra dotium  
 & donationum propter nuptias ad abjectiora vitæ munia vel matri-  
 monia inæqualia ineundo cogeretur poſteritas quod ſane non eſſet  
 ſplendorem familiæ conſervare. Plura de contrariis afferenda eſſent  
 quæ vide apud FUSAR, & KNIPSCH, nam contraria mihi tam-  
 poris brevitatis obſiſtit, ſineque inſtitutum præcipit.

*Parergon poſitionum polemicarum*

*Univerſo Jure.*

*Ex Jure naturæ & gentium.*

1. Jus naturale non eſt dictamen rectæ rationis.
2. In bruta æque proprie cadit ac homines.
3. Non datur ſpecies iuris naturæ a iure gentium indiſtincta.
4. Magiſtralis iuris gentium, in primævum & ſecundævum diſtinctio, rationi convenientiſſima.
5. Utrum poteſtas mariti in uxorem iuri naturalis au divini ſit, problema eſto.
6. Contractus metu in iure naturæ irriti ſunt.

*Ex*



### *Ex Jure Canonico & publico.*

1. Sponsalia ita obligant, ut quis precise cogi possit ad implementum, nisi perfectiora mediterur.
2. Desforans sub promissione ficta matrimonii, non tenetur defloratam determinate ducere.
3. Matrimonium nec ratum multo minus consummatum, solvitur per adulterium conjugis, quoad vinculum, saltem apud Catholicos.
4. Principes non tenentur adhibere solemnitates iuris civilis in suis testamentis.
5. Status Imperii in bannum & declarare & declarari possunt.
6. Potest quis manere Status Imperii, etiamsi præter titulos & maiorum tumulos in Imperio nihil possideat.

### *Ex Jure Civili.*

1. Debitor iurato promittens se soluturum, adhuc compensare potest, sicut & testator testamentum iuramento confirmatum revocare sine periurio.
2. Accepta dote aut legitima, iurato renuntians hæreditati paternæ, non potest petere supplementum legitimæ, auctis parentis sui bonis.
3. Cum uno de delicto capitali transgens ab altero adhuc accusari potest.
4. Procurator ante litem contestatam cautionem de rato & mandato præstare debet.
5. Ratione rei mobilis aliquis forum sortitur non ubi res reperitur, sed ubi persona domicilium habet.
6. Donatio alterutri conjugum facta possessionem & usucapiendi conditionem transfert.

H

Ex

*Ex Jure criminali & feudali.*


1. Fur, facta sibi primi & secundi furti gratia, adhuc tertii furti omnino ad furcam damnandus.
2. Confessio offensi sufficiens indicium non est ad torturam.
3. In actu amoris alterum interficiens ordinaria pœna ple-  
tendus.
4. Feudum extincta linea convasalli accrescit vasallo viventi, sine voluntate expressa domini directi, in casu simultaneæ investituræ.
5. Præscribens feudum non præjudicat agnatis remotioribus, quo minus ab illis revocari possit.
6. Dominus vasallo, invito agnatis, feloniam remittere nequit.

**F I N I S.**



H






X2368848







22  
Pri. 53. Nummer 32.  
1737, 11 5

HUMANA IMMORTALITAS  
IN  
FAMILIARUM NOBILIUM  
CONSERVATIONEM ADINVENTA,  
SIVE  
DISSERTATIO  
DE  
FIDEICOMMISSIS  
FAMILIARUM  
PERPETUIS,  
QUAM  
EX DECRETO  
ILLUST. FACTORUM ORDINIS,  
PRO  
*Summis in utroque Jure Honoribus  
& Privilegiis Doctoralibus  
rite consequendis,*  
IN ALMA LUDOVICIANA  
AD D. OCTOBR. MDCCCXXXVII,  
PVBLYCO PROCERVM ACAD.  
EXAMINI SUBMITTIT  
ANTON. HABEE, *Oberursellanus*  
AUTOR & RESPONDENS:  
GIESSE, TYPIS EB. H. LAMMERS, ACAD, TYPOGR

